

DISPUTATIO POLITICA,

De

SUBDITIS, ALTERA  
CIVITATIS SEU REIPU-  
BLICÆ PARTE;

Quam

Unā cum adjectis questionibus miscellaneis,

SS. Trinitate aspirante,

Sub praefatio

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI,  
DN. PHILIPPI HOENONII, J. U. D. ET POLITICÆ  
in inclita & celeberrima Sigenensi schola Professoris,  
præceptoris sui debitâ observantia pro-  
sequendi,

Pro ingenii tenuitate & viribus publicè tueri conabitur

WILHELMUS STÖVERUS Dillenbergenensis  
Nassovius.

Xenoph. lib. 8. de paedag Cyri.

Subditi vitam principis ferè imitantur. Itaq; optima principis edu-  
catio & vita subditos ad easdem virtutes, quas in principe suo  
animadvertisunt, invitat. Ergo quales principes, tales & reliqui  
sunt cives.

HERBORNAE NASSOVIORVM

Ex officina Christophori Corvini.

ANNO 1607.



DISPUTATIO POLITICA,  
DE SUBDITIS, ALTERA CIVITA-  
TIS SEU REIPUBLICÆ PARTE.

THEISIS I.

**P**Artes civitatis seu Reipublicæ duæ sunt, subditi & magistratus. Duplici uteq; pacto seu obligatione tenetur, unâ Deo, alterâ sibi invicem.

2. Reg. 11. ¶. 17. 2. Chron. 23. ¶. 16. Lamber. Danæus lib. 6. polit. Christ.  
in Aphorismis sacris sub loco seu tit. de magistratus officio.

II.

Deus à magistratu stipulatur pariter & subditis. A magistratu, velintne sic regere, ut totam gubernationem ad gloriam cultumq; Dei dirigat. A subditis, velintne sic obtemperare magistratui, ut Deo potius & honestati, quam hominibus obsequantur.

2. Reg. 23. ¶. 3. 2. Chron. 34. ¶. 32.

III.

Magistratus subditiq; id se facturos, purè promittunt. Deus sub conditione repromittit, se illis ads futurum, & Rem publicam stabiliturum.

1. Samuel. 12. ¶. 13. 14. 15. 25. 1. Reg. 2. ¶. 4. Stephan. Jun. Brut. in vindiciis contra Tyran. quæst. 1. pag. 9. & seq.

IV.

Deinde subditi stipulantur à magistratibus, velintne magistratus sic imperare, ut placidam ac quietam vitam obtemperantes degant cum omni pietate & honestate.

Secundum illud Rom. 13. ¶. 4. 5. 6. & 1. ad Timoth. 2. ¶. 2. Stephan. Jun. Brut. de jure magistrat. quæst. 6. pag. 248. & seqq.

V.

Magistratus purè promittunt. Subditi sub conditione omnia honesta, eaq; quæ magistratui debétur, repromittunt.

Et quidem vel expressè vel tacitè. a. Expressè, ubi per electionem; tacitè, ubi per successionem magistratus, regnum vel imperium defertur.

a) Stephan. Jun. Brut. d. loc. Ejusmodi paceti seu obligationis inter Ephoros & Reges Spartanos, per singulos menses renovata, pulcherrimum exemplum est apud Xenophonem in Republica Lacedamoniae.

VI.

Subditi sunt prima civitatis pars obediens, qui in civitate subjecti parent.

VII.

Horum cùm virtutes & officia, tum distinctiones explicabimus.

VIII.

Virtutes subditorum sunt, quibus ipsi sese magistratui ac patriæ suæ ad commune bonum rectè accommodant. Suntque prudentia & justitia.

IX.

Prudentia subditorum est, quâ ii subjectionis suæ media requisita ad utilitatem ex imperio percipiendam necessariam pro virili commodè ac circumspectè conferunt.

Quae & quomodo officia præstabit subdittus, officiorum debita & rationes qui non capit, quin non sapit?

X.

Justitia subditorum est, qua tribuunt magistratui, quod magistratus est.

XI.

Id quod faciunt affectu vel effectu.

XII.

Affectus subditorum erga magistratum debet esse benevolus, id est, prompta inclinatio & amor.

Ratio I. quia magistratus cum civibus suis quasi parens cum liberis virvit: Amorem igitur filiale ineretur. II. Magistratus ideo amari debet à subditis, ut cōtribuentius tantum onus, tantamq; curam subeat & suceptiat. Danæus lib. 2. pol. in Aþhoris. sacris subdit. de cœlium & subditorum officio. num. 4.

XIII. Un-

XIII.

Unde in sacra pagina subditorum inter se in magistratu seu principe suo diligendo æmulatio, & certamen laudatur, si modò fuerit moderatum, neq; bellum civile inter eos, neque seditionem moveat.

2. Samuel. 19. ¶. 43. Danæus d. loc. n. 17.

XIV.

Effectus debetur magistrati triplex; Observantia, obedientia, & tributorum vectigaliumq; exhibitio.

XV.

Observantia est, per quam subditi suum sibi à Deo præfectum magistratum debito cultu & honore prosequuntur.

Secundum illud Petri 1. c. 2. ¶. 17. Timete Deum, Regem honore afficite. Quinimò natura honorem, qui magistrati exhibeat, requirit, utpote qua rebus præclaris & eximis meliora loca concedit. Aris. lib. 4. polit.

XVI.

Obedientia subditorum a est, quâ illi legitima magistratus mandata b audiunt, ac illis pro virili satisfaciunt.

a) Huc pertinet illud Pauli Rom. 13. ¶. 1. Omnis anima potestatis supereminentibus subdita sit; Non enim est potestas nisi à Deo. Et paulò pòst ¶. 5. Quapropter necesse est subiici, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Hanc subjectio nem inter bona opera & que Deo grata sunt, recenset alibi idem Paulus ad Tit. 3. ¶. 2.  
b) etiam dura & rigida 1. Petri 2. ¶. 18. Danæus lib. 2. polit. Christ. in Aphor. sacr. sub tit. de subditorum officio num. 3.

XVII.

Exhibitio tributorum a est, qua subditi non gravatim b conferunt, quæ ad conservationem Reipublicæ magistratus exigit.

a) Roma. 13. ¶. 7. ubi à Paulo jubemur reddere magistratis, quod debemus, tributum & vectigal. b) Etiam si subditis tributa albaq; civilia onera imponantur, subinde plura & majora; patienter tamen hac in se recipient, exemplo Iis aëlitarum Exod. 5. Non moveant propterea seditiones, sed petant iterum atq; iterum tolerabilem saltem onerum & exactionum mitigationem.

XVIII.

Hæc de virtutibus subditorum: sequuntur officia, quorum alia spectant ipsum magistratum, alia sunt erga se invicē.

XIX.

Officia subditorum erga magistratum concepnunt vel  
sacra, vel profana seu civilia.

XX.

Sacra concernunt ea officia, quæ piæ ac orthodoxæ  
constitutioni & adserzioni veræ religionis respondent & sa-  
tisfaciunt.

XXI.

Pietatem igitur veramq; religionem ex jussu sui magi-  
stratus susciperelbenter & debitâ observantiâ colere subditi  
debent.

Quod nisi ita fecerint, & postea Deus ingratitudinem puniesurus, impiorum magi-  
strorum furores, errores & idolatriam in subditos illos grassari permisit; contuma-  
ces isti hanc tristem religionis mutationem sibi & sua ingratitudini imputare debent:  
Imò gravissima contumacia sua supplicia & pœnas subibunt. Vera enim est & immo-  
ta illa apud Esaiam c.60. vers.12. sententia: Gentes & regna, quæ non servierint ti-  
bi, Jehova, peribunt; Gentes inquam, vastando vastabuntur. Cui planè consentit  
illud quoq; Regis Davidis in Psalm. 73. v. 27. Quoniam ecce, qui se elongant à te, peri-  
bunt: Succidit omnem fornicantem à te. Danæus lib. 3. polit. Christ. cap. 3. pag. mihi 203.

XXII.

Siverò magistratus impia imperaverit, subditos ad erro-  
res, hæreses, idolatriam ac impietatem abducturus & com-  
pulsurus, adeoq; illorum conscientias præterjus & fas grava-  
turus, subditi sibi caveant, ne impiis mandatis obedientiam  
præstent.

Tunc enim animis subitorum occurrat id quod habetur Acto 5. v. 29. Deoparenā  
est potius, quam hominibus. Et illud Christi apud Matth. 10. v. 33. Qui me abnegaverit  
coram hominibus, abnegabo quoq; ego eum coram Deo patre meo in celo. Item illud  
Pauli Rom. 1. v. 32. ubi eos execratur, qui post jura Dei cognita non solum impia &  
injusta faciunt, sed etiam facientibus patrocinantur. Ergo nemo pius debet ea agere qua-  
sunt impia & injusta, quamvis legibus & editiis publicis, quantumvis solenniter &  
legitimè latit, prescrivantur. Danæus lib. 3. polit. Christ. cap. 2. pag. mihi 331.

XXIII.

Interim fugiant subditi seditionem, quâ armatâ manu  
& vi jugum magistratus sui excutiant.

Aliud enim est magistrati impia præcipienti, vel iniqua per subjectos exequi volenti,  
non

*non obsequi, quam vim suo magistrati intentare. Illud quidem nobis est facienda, hoc vero nefar est; nisi quis forte privatim extraordinarium mandatum a Deo accepit. Danaeus d. lib. 5. cap. 2. pag. 332. Stephan. Jun. Brut. in vindiciis contra Tyrannos & de jure magistr. quest. 5. in princ.*

XXIV.

Petant potius subditi humiliter a suo magistratu obtrudente falsam religionem, ut parcat ipsorum conscientiis, ac protestentur sancte, se alioqui ei ad omnia cijivilia officia & obsequia fore promptissimos.

*Exemplo Mardochai Esther. 13. Itē Petri & Johannis Apostolorum, qui a Pharisais & magistratibus Hierosolyma interrogati humiliter hoc modo respondent: Judicate quāsumus vos, an sit justum in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum. Actor. 4. p. 19. Atq; hac humilitate sapientiū subditi liberum religionis exercitium impetrant.*

XXV.

Quod si ab impio proposito desistere magistratus nolit, sed idololatricum cultum ac falsam religionem obtrudere per viam & tyrannidem molitus fuerit; subditi pii aut a ditione magistratus, Tyranni facti, discedant & sedes mutent; aut ad preces configuentes, jugum Tyranni patienter ferant: & potius mori, quam sauciare suas conscientias impiis edictis obtemperando malint: aut ordines b Reipublicæ adeant & eorum auxilium implorent.

a) Danæus d.lib. 5. c. 2. pag. 331. in fin. & seq. b) ad quorum officiū pertinet, magistratum, Tyrannum factum, primò verbis & rationibus corriger, & via juris, sires adhuc sit integra, si quidem sine armis tyramidem exerceat, cum eo experiri, (secundum Bodinum lib. 2. de Repub. c. 5. in princ.) deinde vi & armis armatum coercere, argumento eorum qua traduntur de Davide, 1. Samuel. 23. & 24. Quā de re eleganter & prolixè tractat Stephan. Jun. Brut. de jure magistr. quest. 6. Dissentit quodammodo Bodinus d.lib. 2. de Repub. c. 5. pag. mihi 328. quatenus Monarcham, Tyrannum factum, ab Ordinibus regni seu Reipublica coerceri non posse existimat.

XXVI.

Profana seu cijivilia officia subditorum maximè consistunt in promulgatis legibus ultrò recipiendis, & iis recte exequendis, in impositis muneribus a magistratu haud gravatim suscipiendis, commodeq; administrandis, in præparandis præfidiis contra mala publica, adeoq; in fide Reipublicæ domini forisve præstanda.

**XXVII.**

Officium subditorum erga se invicem consistit in studio concordiae.

Concordia res parva & erescunt, discordia maxima dilabuntur, ut ait ille apud Christum Salust. Sed audiamus Salvatorem nostrum hac de re loquentem apud Matthe. cap. 12. ¶ 25. Omne regnum dissidens adversus se, vastatur, & omnis urbs aut domus dissidens adversus seipsum non stabit. Idem a Spiritu sancto in Psalmo 133. prolatum eleganti hoc carmine expressit Buchananus:

Nil charitate muruā fratum, nihil

Jucundius concordia.

Non aura suavis balsami quum funditur

Aronis in sacrum caput:

Non res, tenella gemmulis argenteis

Fingens Sionis gramina.

Fraterna quam pax incolit domum, juvat

Dominus benignā dexterā,

Et opibus auget, filiorum & filios

Multis propagat seculis.

**XXVIII.**

Superest ut de distinctionibus subditorum dispiciamus.  
Subditi primò vel plenè cives sunt, vel ex parte tantum.

Danæus lib. 2. polit. cap. 4.

**XXIX.**

Plenè cives sunt, qui gaudent communibus juribus & commodis ejus, in qua sunt, civitatis.

**XXX.**

Suntq; hi rursus originarii vel adscripti.

**XXXI.**

Originarii cives sunt, qui ab originis ratione jus civitatis obtinendæ assediti sunt.

**XXXII.**

Adscripti sunt, qui aliunde ad civitatem accesserunt, & suffragio consensuq; reliquorum civium civitatis jus conseruti sunt.

Hic attingere libet questionem vulgatam, an peregrinum seu extraneum in civitatem assumere expediat? Humanitati naturali, cuius in vita politica potissima semper ratio duci debet, magis consentaneum est, ut in civitatem admittantur peregrini. Quid enim homini Christiano magis convenit, quam proximum suum, quibuscunq; charitatib;

tatis officiis prosequi, ejusq; commoda omnibus promovere rationibus, at q; nihil eorum  
prstermittere, que ad ipsum finem tendunt? Duae tamen hasce cautions adhibendas  
hic esse docent Politici. I. Ut non nisi vita honeste antea acta testimonii maximè con-  
spicui in civitatem admittantur. II. Si accepti sint, etiam ad honores & publica mu-  
nera admittantur, ad evitandam seditionem & invidiam, ex sententia Petr. Gregor.  
Tholosani lib. 4. de Repub. c. 5. n. 22. pag. mibi 175. Disserit Johan. Caslus in Sphaera  
civitatis lib. 5 c. 3. circa finem, ubi docet peregrinos, senatus, judicium, imperium in civita-  
te participes fieri non debere.

XXXIII.

Ex parte cives sunt, qui aliquo jure aut commodo civi-  
tatis fruuntur, veluti confederati, honorarii cives & advenæ.

XXXIV.

Confederati sunt cives ex fœdere, & eosdem inimicos vel  
communia commercia habent, iisdem legibus utuntur, &  
eosdem habent conventus.

XXXV.

Cives honorarii sunt, quibus jus civitatis honoris ergò  
tributum est, qui tamen ideo non tenentur imperio aut ne-  
cessariis muneribus.

XXXVI.

Advenæ sunt, qui cum iter aliquò faciunt, in alienæ  
Reipublicæ hospitio, sive publico sive privato, mox discessu-  
ri, morantur.

XXXVII.

Secundò cives sunt, vel eminentioris conditionis, vel  
inferioris.

XXXVIII.

Prioris generis sunt nobiles & milites.

XXXIX.

Nobiles sunt illi, quorum familiæ, natalium splendor,  
claritudo generis & dignitas stemmatum, imaginum & gen-  
tilitatis, certaq; privilegia a quibus fruuntur, a principe, lege  
vel consuetudine, ob virtutes b Reipub. & vitæ communi  
salutares & commodas, scientiam scilicet, vel res præclarè  
gestas, præ cæteris civibus collata sunt.

a) *Quæ sunt in exemptione tributorum & veſtigialium, prælatione ad honores militares, gladii circumgeſtione, jurisdictionis in alios quosdam confeſſione, & honorum feudalium liberâ poſſeffione.* Danæus lib. 6. polit. c. 6. pag. 123. b) *Hinc illud Juvenalis in Satyris:*

Tota licet veteres exortent undique ceræ

Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

c) *Sinibald. Ubald. JCtus Axiom. ac nobilit. 10.*

XL.

Posteri nobilium, qui propter iſtam generis & majorum fuorum virtutem eadem privilegia ſunt conſecuti, ſibi maximè à tribus illis vitiis caveant, defidiā, per quam à virtute majorum per ignaviam degenerant; tyrannide, per quam ſubditos ſibi vel alios quoscunque cives opprimant, & deniq; ab invidentiā mutuā, per quam odia ſimultatesq; inter ſe aſtant, & bella rixasve propterea gerant, & armis iſpi ſibi jus dicant.

XLI.

Virtutem majorum fuorum ambabus ulnis amplectantur. Quibus enim non eſt virtutis prætantia, generis claritas potius dedecori & ignobilitati eſt, quam laudi & gloriæ, neque amplius ea claritas prodeſſe potest, quam ut non poſſint latere ſi velint, & ſint fabula vulgi, dum degenerant, cum ſatius eſſet latere, quam ita misericordiæ & reprehenſioni patere. Turpitudo objec̄tu lucis insignior fit atque conſpectior, & niſi quis eam caveat, in tenebris natum eſſe & vivere melius foret. Tempore nobilitas incipit, tempore deſinit; virtute claret, vitio ſepelitur.

Petr. Gregor. Tholofanus de Republ. lib. 4. cap. 2. num. 9.

XLII.

Illam nobilitatis ſpeciem, quæ ex opum ſplendore & magnificētia vulgo oriri dicitur, non admittimus. Quid enim absurdius aut pernicioſius, quam dignitatem quaſtu, ordinem pecuniis, nobilitatem opibus metiri? Cū ſequiū aut furtis ac rapinis, aut Tyrannorum effusā in deterrimum quemq;

quemq; largitione ac casu quodam (tametsi nihil casu fit) ac fortunæ (ut ita cum vulgo loquar) temeritate, unde fortunas dici putant, dentur & eripiantur. At honestas nihil habet cum fortuna commune; nec veræ virtutis & nobilitatis possessio furtis eripi, nec incendio absumi, nec aquarum voragine absorberi, nec ullâ vi perire potest.

Bodin.lib.3.de Republ.cap.8.pag.566.

XLIII.

Milites sunt togati vel armati.

XLIV.

Milites togati sunt literati, iiq; cùm Theologi & Jurisperiti, tum Medici & Philosophi.

XLV.

Theologi sunt verbi divini sacrorumq; mysteriorum periti.

Horum officium maximè in hoc consistit, ut Dei metum & cognitionem, hominum mentibus insillent, & Scripturam interpretentur.

XLVI.

Jurisperiti sunt legum humanarum antistites, eodemq; sensu appellantur justitiæ sacerdotes.

Eorum officium est iustitiam colere, aequum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere, veram, non simulatam Philosophiam affectare. Secundum Ulpianum in l.r. ff. de J. & J.

XLVII.

Medici sunt, qui salubribus remedii corpora humana morbis afficta curant.

Horum officium est, nihil eorum, quo ad utilitatem & curam ægi pertinent, omittere, etiam si non omnino curetur, id est, semper sanetur æger. Nam, uis canit Ovid. 1.lib.de ponto:

Non est in medico semper relevetur ut æger,  
Interdum doctâ plus valet arte malum.

XLVIII.

Philosophi sunt artium liberalium inferiorum periti.

Horum officium est, rationibus, non autoritatibus aliorum inanibus progredi, spectare rejudicium veri & finem bonorum: & secundum Ciceronem in Hortensio, extrahere

*vitiis radicibus, & preparare animos ad satus accipiendos, eaq[ue] mandare his & serere, que adulta fructus uberrimos ferant.*

**XLIX.**

Ex literatis quidam Doctoratus, quidam Magisterii gradu insigniti sunt.

**L.**

Doctores sunt literati, quibus in facultate sua publicè docendi & respondendi ex Cæsareæ Majestatis autoritate facta est potestas.

**LI.**

Ex autoritate illa vel Cæsar ipse Doctores creat, vel Comitibus Palatinis Creandorum Doctorum facultatem concedit, vel Professor aliquis in Academiis Doctores eos renunciat, qui testimonio eruditionis publico petito, in solennibus antegressis examinibus illo sele honoris gradu dignos probarunt. Hi legitimè promoti, illi priores Bullati Doctores dicuntur, quia ex bulla, id est, rescripto seu diplomate gradum consecuti sunt.

**LII.**

Creatur autem Doctores vel in sapientia divina, vel humana, id est, Jurisprudentia vel Medicina.

**LIII.**

Soli Philosophi gradu Magisterii ornantur, illi scilicet, qui Platonis, Ciceronis, Aristotelis, Petri Rami, Philosophiam accuratè didicerunt.

**LIV.**

Ad gradus capessendos literarum studiosos non decet nimium festinare, sed operam dare, ut à profectu in studiis, quibus se dediderunt, ita priùs sint instructi, ut vel ad docendum in Ecclesia aut Schola, vel ad alias Reipublicæ partes administrandas sint idonei.

**LV.**

Milites armati sunt, qui in bello contra hostem militant,

tant, & militiæ laude ac fide viti sunt excellentes.

*Horum est, suo tempore officia militaria strenue & fideliter fecerunt.*

LVI.

Suntque vel pedites, vel equites.

LVII.

Neutris exercitus carere potest; majus tamen robur posse  
ditatus, quam equitatus esse putamus in oppugnationibus &  
defensionibus urbiū sive castrorum. Item in locis inontibus  
aut impeditis, in sylvis, vineis, vallibus &c. Lips. lib. 3. p. 111. c. 7.

LVIII.

Inferioris conditionis subditi sunt, qui vitæ generibus  
minùs præstantibus sunt dediti.

LIX.

Hique rursus sunt primarii, vel secundarii.

LX.

Primarii sunt, qui honestiora & digniora tractant arti-  
ficia.

LXI.

Ad primarios referimus, Typographos, Pictores, Mer-  
catores, Librarios seu Bibliopolas, Architectos, Aurifabros.

LXII.

Secundarii sunt, qui vilioribus & crassioribus artificiis  
seu opificiis dediti sunt.

LXIII.

Inter omnia generis hujus articia, agricultura cæteris  
antiquitate, necessitate, & utilitate præfertur.

LXIV.

Hic pertinent omnes eæ artes mechanicæ, quæ vitæ  
humanæ sunt utiles; ut pastorum, pistorum, molitorum, co-  
quorum, cerevisiariorum, lanionum, sartorum, futorum,  
alutatiorum, ephippiatiorum, pellionum, balneatorum, ar-  
culariorum, barbitonorum, vietorum, carpentatiorum,  
textorum, fullonum, &c.

Quemadmodum appellatione populi, universi cives, connumeratis etiam eminentioris conditionis civibus, significantur; ita plebis appellatione, sine eminentioris conditionis civibus, cæteri cives inferioris conditionis tantum continentur.

Plebis seu vulgi ingenium personas politicas accuratè cognitum exploratumq; habere oportet. Est enim vulgo nihil incertius, tam prouin in misericordiam, quām immodi-  
cum fætidiā, secretorum impatiens, expers judicii, invidum,  
credulum, instabile, turbidum, præceps, inexplebile, bono  
publico commoda privata præferens. Summā igitur cautio-  
ne homini politico in conversatione cum plebejis opus, ne  
incautus à belua ista multorum capitum in labyrinthum pe-  
ticulorum & calamitatum, ex quibus postea difficulter emer-  
gere possit, abripiatur.

## QUÆSTIONES POLITICÆ

### MISCELLANÆ.

1 Utrum oporteat quemvis pium hominem certæ Rei-  
publicæ civem esse? Affirmamus cum Danæo lib. 2. polit.  
*Christ. cap. 3.*

2 An subditi magistratibus tempore & naturâ sint prio-  
res? Aff. cum Danæo lib. 1. polit. cap. 4. pag. 36. & seqq. Stephan.  
Jun. Brut. *de jure magistr. quest. 6. pag. 220.*

3 An subditis liceat aliquando legibus malè latis parere?  
Distinguimus cum Caso *in Sphaera civit. lib. 4. cap. 8. in fin.*

4 Utrum æqualitas civium inter se sit id ipsum, ex quo felici-  
tas tranquillitasque civitatis oritur? Distingu. cum Aristotele *in polit.* & Danæo lib. 2. polit. cap. 6. pag. 118.

5 An mercatura nobilitatis splendori officiat? Affirmat  
Bodi-

Bodinus lib.3. de Republ. cap.3. Alii rectius distinguunt.

6 An idem sit vir bonus & civis bonus? Affirm. cum Dao-  
næo lib.2. polit. cap.5.

7 Utrum fœminæ, mares, senes decrepiti, pueri, paupe-  
res, perpetuò ægrotantes & in lecto decumbentes sint cives?  
Disting.

8 Utrum nothi sive spurii in civitatem sint recipiendi?  
Aristotel. lib.4. polit. cap.6. Causa in Sphaeracivit. cap.6. Jun. part.  
2. quæst. 60. negant. Nos distinguimus.

9 Utrum in civitate, divitium pauperumq; item nobili-  
um & ignobilium filii, eodem modo educari debeant? Negat  
Causa in Sphaeracivit. lib. 4. cap.9. Nos distinguimus. In pietate  
omnes ex æquo informandi, non item in aliis politicis.

10 An liceat populo alicui, initio idcirco fœdere, dona &  
stipendia accipere ab aliquo principe extraneo, ut, quando  
res postulaverit, princeps ejus operâ in re militari uti possit?  
Disting. Vid. Jos. Simler. de Repub. Helvetior. lib.2. pag. mihi  
124. & seq.

---

P R A E S I D I S  
ELEGIA PARÆNETICA  
*Ad Respondentem.*

QUI sine, quæ mentem singit formatque loqulam,  
Arte, Facultatum culmina celsa petit:  
Immemor Icarii casus, sublatus in altum  
Turpiter, heu, lapsu mox graviore ruet.  
Scilicet à teneris doctas qui spreverit artes,  
( Ante alias Logicen Rhetoricenque voco)  
Sæpe fatigatur noctesque diesque labore,  
Nil tamen in studio proficit ille suo:  
Nec, quam præfixit, potis est contingere metam,  
Cur? quia non alas, heu, miser artis habet.

Ergo tuis, juvenis, maturè consule rebus,  
Cui pectus patriæ publica cura coquit.  
Junge Facultati Sophiam, Sophiæque vicissim  
Junge Facultatis nobilioris opes.  
Jungi tuis studiis civilem hanc gnaviter artem,  
Mundus quâ regitur, quicquid & orbis habet.  
Quâ stat Religio firma & Respublica, quâque  
Civibus adseritur jusque decusque suum.  
Quâque decens pulchri moderaminis ordo docetur,  
Unde indigestum cedit ab urbe chaos.  
Quæ populos populūmque deos moderatur habenis  
Legum, cuncta foris quæ regit atque domi;  
Quæ foræ, quæque scholas, quæ dextrè templa gubernat,  
Ardua militiæ munera quæ tribuit;  
Quæ patriæ pacem reddit, vi finibus hostes  
Ejicit, occultâ vel ratione premit;  
Illa est civilis præclara scientia, cunctis  
Artibus ingenuis utilitate prior.  
Quòd reliquæ florent artes, quòd publica res hinc  
Floret, & in cives commoda mille fluant,  
In tantas & quòd Romana potentia vires  
Creverit, invicto robore stetque suo:  
Artis civilis studio debetur id omne,  
Cujus apud Veteres maximus usus erat.  
Turpe quidem dictu est, sed Res nos vera fateri  
Publica, quæ miserè plangit ubique, jubet:  
Horrida nunc facies regnorum squaler amictu,  
Nec magis appetet, quod fuit antè, decus:  
Conquassata jacent passim fundamina rerum  
Omnia, nî servet, mox ruitura, Deus.  
Cur? quia civilis passim contemnitur ars hæc,  
Quâ sine Lex, Rex, Grex, publica Resque cadit.

F I N I S.

Bodinus lib.3.de

6 An idem f  
næo lib.2.polit.ca

7 Utrum fœ  
res, perpetuò ag  
Disting.


8 Utrum no  
Aristotel. lib.4.  
2.quest.60. negan

9 Utrum in  
um & ignobiliu  
Casus in Sphæra  
omnes ex æquo

10 An liceat  
stipendia accipo  
res postulaverit  
Disting. Vid. J  
124. & seq.

## ELI

Qui si  
Ar  
Immemor  
Turpiter  
Scilicet à te  
(Ante a  
Sæpe fatig  
Nil tam  
Nec, quam  
Cur? qu



8  
cum Da-

i, paupe-  
nt cives?

cipiendi?  
Jun. part.

n nobili-  
t? Negat  
n pietate  
cis.

, dona &  
, quando  
ti possit?  
pag. mihi